



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 4. An est mortale communicare cum Excommunicato non tolerato?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

non legatur apud S. Antonin. potest tamen excommunicatus excusari ob impotentiam moralem, ut si non possit abstinere ab hac communicatione sine scandalo vel gravi damno, ut infamia gravi quando crimen est occultum; quia præcepta Ecclesiæ ordinariè non obligant cum gravi damno. Fideles autem non peccant communicando cum excommunicatis toleratis: secùs, si non sint tolerati, ex ead. constit.

7. Excommunicatus non toleratus privatur Ecclesiastica sepultura, ita ut non liceat in loco sacro eum sepelire; etsi sepeliatur, debeat exhumari, si ab aliorum corporibus discerni queat, c. 12. de sepult. ibi: *Sacris est Canonibus institutum, ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis: Et ut careant Ecclesiasticâ sepulturâ, qui priùs erant ab Ecclesiastica unitate præcisi, nec in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerint.*

Sed quid, si excommunicatus resipuerit, & per contritionem perfectam justificatus fuerit?

Resp. Semper manet obnoxius his pœnis, donec absolutus sit, c. *Sacris, de sent. excom.* quia Censura, quamdiu manet, habet effectus suos. tamdiu autem manet, quamdiu non tollitur per absolutionem; & alioqui non esset opus absolutione.

Q. 4. *An est mortale communicare cum excommunicato non tolerato?*

Q. 5

Resp.

Resp. Ex S. Thom. & ex communi sententia est mortale communicare in rebus Sacris, ut Officiis divinis, c. 29. causa. 11. q. 3. nam materia gravis est, & valdè repugnat tum auctoritati & fini Censuræ, tum etiam dignitati rerum sacrarum: sed solum veniale est in aliis, nisi in crimine ob quod alter excommunicatus est, vel nisi sit contra speciale præceptum Superioris, vel cum scandalo aut contemptu legis, ut si communicatio esset frequens: quia, inquit, communicatio in rebus civilibus non censetur hîc materia gravis, nam non repugnat graviter fini excommunicationis, nisi sit frequens.

Communicans autem cum excommunicato in crimine criminoso, hoc est, cooperans culpæ vel contumaciæ ob quam lata est excommunicatio, v. g. præbendo consilium, auxilium vel favorem, semper peccat mortaliter, & eandem incurrit excommunicationem, c. 29. & 55. *de sent. excom.* quia faciens & consentiens pari poenâ puniri debent.

Q. 5. Quinam sunt effectus Excommunicationis minoris?

Resp. Tres sunt. 1. Privatio seu prohibitio receptionis Sacramentorum, c. 59. *de sent. excom.*

2. Privatio passivæ electionis ad dignitates & Beneficia. Quare illâ ligatus peccat graviter, si scienter recipiat Sacramentum vel Beneficium: quia violat præceptum Ecclesiæ in re gravi.